

potestati nihil quicquam detractum velimus, neque etiam a quoquam, nisi omnium rerum ignaro, in dubium vocari possit, jam antiquissimis temporibus societates quasdam, mox etiam justas respublicas, extitisse, nemo tamen nobis facile pervaserit, ita statim ordinatas fuisse illas, ut principes omnes in communi positas res sibi solis adscripserint. Tantum igitur abest, ut ad eos referenda videatur prima viarum institutarum origo, ut potius a frequenti hominum, quorum alter alterius insistebat vestigiis, usu sit deducenda. Neque tantæ etiam erant primæ illæ civitates, ut ab earum finibus sine magno peregrinantium incommodo deflecti non potuisset. Aucto tamen hominum numero, rerumque publicarum finibus latius propagatis, peregrinationibus etiam omnis generis hominum variis ex causis frequentioribus factis, principes ad rem suam intentos, salutis etiam publicæ causa, vectigalia, in viis provinciarum suarum maxime usitatis, ab iis imprimis, qui merces vel importabant, vel exportabant, pendenda, imperare cœpisse, peregrinantibus vero, ut a locis, in quibus solvenda erant telonia, diverterent, amplius licitum non fuisse, a vero non plane alienum esse videtur. Ad hoc accessit, quod, crescentibus gentium commerciis, mercatoribus undiquaque concurrentibus, mercesque vel ementibus, vel vendentibus, emporia fuerunt constituta a summis imperantibus, idque eo fine, ut commodum & salutem totius cujusdam provinciæ adjuvarent, vel singulas etiam urbes eo illustriores ditioresque redderent. Huc igitur res promercales erant perferendæ. Inde denuo ab aliis petendæ. Nulli vero mercatorum permissum erat, ut, neglecto posthabitoque emporio, publica auctoritate constituto, merces alibi vel exponeret, aut expositas compararet. HERODOTO si fides est, Naucratis, urbs Ægyptia, tale fuit emporium, idque jam Amasis, Ægyptiorum regis, temporibus factis vetus, quo ut convenirent mercatores, lege publica adstricti erant. Sic enim scribit *L. II. Nam vetus emporium erat*

*erat*